Copia

COD 45
11059

In Nomine Domini Amen.

Cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, quod Anno a Nativitate Domini Nri Jesus Christi MDCCXVI. Indictione IX. die vero III. Octobris Pontificatus autem Sanctissimi in Xpto Patris et Domini Nostri Dni Clementis Divina Providentia Papae XI. anno ejus decimo sexto, ego officialis Deputatus legi, vidi, et diligenter inspexi quasdam Literas Apostolicas in forma Brevis sub annulo Piscatoris expeditas, sanas quidem, et integras tenoris sequentis videlicet a tergo Venerabili Vincentio Archiepiscopo Laodicensi in Portugaliae, et Algarbiorum Regnis Nostro, et Apostolicae sedis Nuntio. Intus vero.

Clemens PP. XI. Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem. Cum Charissimus in Xpto Filius Noster Joannes Portugaliae, et Algarbiorum Rex Illustris, non minus pro eximia sua pietate, egregioq; quo fervet, honoris Dei, et Catholicae Religionis tuendae zelo, quam nostris Paternis offitiis, atque hortationibus excitatus validum quamplurium Bellicarum Navium, tam Classi Nrae Pontifitiae, quam aliis Navibus, et Triremibus ab aliis Regibus, et Principibus, et Reipublicis Christianis contra Turcas missis seu mittendis uniendarum, ac simul adversus eosdem Turcas Civitatem, et Arcem Corcirem vehementi obsidione urgentes militaturarum subsidium transmiserit; viris vero Erarii ipsius Regis, tam preteritis bellis, quam gravissimis predictarum Bellicarum Navium expeditionem factis sumptibus attritae, necnon Laicorum sibi subjectorum facultates ulterioribus in ejusmodi causam faciendis expensis pares minime futurae sint, ac proinde idem Joannes Rex aliquo presentaneo ex rebus, et bonis Ecclesiarum, et locorum Piorum in ejus Regnis, aliisque Dominiis consistentium subsidio a Nobis juvari plurimum desideret, presertim, quia aliud simile subsidium quod nos dudum per quasdam nostras in simili forma Brevis die XVI. Aprilis MDCCXII. expeditas literas, quarum tenorem presentibus haberi volumus pro expresso a Personis Ecclesiasticis, tam Secularibus, quam Regularibus Regnorum et Dominiorum predictorum

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

predictorum, in Causam necessarie eorum defensionis, Subjectis modo, et forma tunc expressis persolvi posse permissimus, suum effectum non habuit, nec nostre litere hujusmodi executioni demandate fuerint; Nos licet ab Ecclesiarum, et Personarum Ecclesiasticarum, ac Locorum Piorum gravaminibus animo simus maxime alieni, nihilque magis Cordi nobis sit, quam eorum Libertatem, et Imunitatem illibatam conservare; Considerantes tamen hac in re universe Christiane Reipublice, imo ipsius Dei, cujus templa, et sacra violantur, veraque Religio per Mahumetane abominationis propagationem conculcatur, et pervertitur, causam agi, adeo quod non minus Clericorum, quam Laicorum interesse, ut Comunis, et infensissimi Christiani nominis hostis conatus, et audacia reprimantur, afflictique rei Christiane opportune subveniatur, ejusdemque Joannis Regis postulatis quantum nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere volentes, necnon memoratum subsidium a nobis alias sicut permittitur solvi permissum, expeditasque desuper Literas Nostras supra dictas harum serie revocantes, irritantes, et annullantes, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuantes.

De Nobis Divinitus attribute Potestatis plenitudine unum aliud Subsidium, seu Contributionem unius Millionis Cruciatorum monete Portugalie super omnibus, et singulis fructibus redditibus, et proventibus omnium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Collegiatarum, Parrochialium, et aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Hospitiorum, Domorum, et aliorum locorum Regularium utriusque sexus, ac Archiepiscopalium, et Episcopalium, Abbatialium, Conventualium, Capitularium, et aliarum mensarum, Prioratuum quoque, Prepositurarum, Preceptoriarum seu Comendarum Canonicatuum, et Prebendarum, Dignitatum etiam post Pontificales Maiorum in Cathedralibus ac Princi

palium

palium in Collegiatis Ecclesiis personatuum administrationum, et Officiorum, ceterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam de jure patronatus dicti Ioannis Regis, aliorumque Principum, et Laicorum, etiam ex fundatione, et dotatione existentium cum cura vel sine cura secularium, ac Sancti Benedicti, S. Augustini, Cisterciens. Cluniacens. Premonstratensium, Cartusiens. Monachorum, Eremitarum S. Hjeronimi, aliorumque Ordinum quorumvis utriusque Sexus, etiam Mendicantium, ex privilegio, et alias bona immobilia, seu certos redditus quoquo modo Ecclesiasticos habentium, nec non Societatum etiam Jesu, ac S. Salvatoris Lateran., et S. Ioannis Evangeliste, aliarumque Congregationum et Institutorum Regularium, quorumlibet tam virorum, quam Mulierum preterea Hospitalium Pauperum Hospitalitatem non exercentium, seu bona, et redditus ultra usus infirmorum, et alia pro quibus instituta sunt Pia officia exercenda possidentium, nec non Militiarum, ceterorumque Locorum Piorum, quorumque in Regnis et Dominiis eidem Ioanni Regi subjectis consistentium exceptis tamen Venerabilibus Fratribus nostris S. Romane Ecclesie Cardinalibus, Officio S. Inquisitionis adversus Ereticam pravitatem ac Fratribus Militibus Hospitalis S. Ioannis Hjerosolimitani, atque ad Curata iis, quorum quadraginta, quo vero ad Simplicia Beneficia Ecclesiastica iis, quorum annui redditus summam decem ducatorum auri de Camera non excedunt, ac similiter super omnibus, et singulis pensionibus annuis super premissis assignatis, vel assignandis, per quoscumque Archiepiscopos, Episcopos, Prelatos, Prepositos, Decanos, Canonicos, Rectores, Beneficiatos, Abbates Priores Commendatarios, Abbatissas, Priorissas, Capitula, Conventus, Superiores, Mo

naechos

nactos, Fratres Clericos et Presbiteri etiam dictæ Societatis Jesu, Monialles Præceptores seu Comendatarios, Cæterosque quacumque jure, modo, occasione et titulo prefata obtinentes seu detinentes, et obtenturos, Commos quoque, et Administratores perpetuos, seu temporales, usufructuarios, ac fructus, pensionesque prefatas quantumcumque exemptas, et sub quibus=vis obligationibus etiam in forma Cameræ Apostolicæ, et Juramento, etiam cum susceptione Censurarum, et de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos, et Concessis non utendo, vallatis, et forsan aliis etiam efficatioribus Cautelis, et Decretis, ac Clausulis super eisdem pensionibus etiam medio Cedularum Banchi, seu in forma depositi, eisque, et alia quæcumque ejusmodi Jura, et Bona ex quacumque causa quavis authoritate in toto, vel in parte sibi reservata, aut Concessa habentes, seu habituros, Ceterasque personas, ad quas spectat, et spectabit Seculares et Regulares (exceptis supradictis) semel tantum intra tempus a te prefiniendum quod tamen non sit minus biennio persolvendam, tenore presentium imponimus, et indicimus.

A Cproinde de Fraternitatis tuæ pietate, fide integritate, prudentia, Charitate rerum usu, Christianæque Religionis, et Boni Publici studio plurimum habentes in Dno fiduciam, eidem Fraternitati tuæ per presentes Committimus et mandamus, ut ipsorum Subsidii, et Contributionis sic impositorum, et indictorum ratas portiones singulas et singula Ecclesias, Monasteria, Collegia, Cetera que pia Loca, et Beneficia predicta, ac eorum Capitula, Conventus, Prelatos, Rectores, Administratores, et personas quascumq

3

cumque respective contingentes, assumptis tamen, et adhibitis ad hoc aliquibus timoratæ Conscientiæ viris earum rerum peritis, quos assumendos et adhibendos esse censueris, authoritate Nostra Apostolica taxas definias, et determines, ipsasque ratas portiones sic taxatas, definitas, et determinatas per Commissarios, exactores, Collectores, et executores â te constituendos, et deputandos â prefatis omnibus, aliisque quibuslibet, ad quos spectat, et spectabit cujuscumque qualitatis, status, Ordinis, preeminentiæ, Conditionis, et Dignitatis, ac quocumque Privilegio, Immunitate, exemptione Reali Personali, et mixta, quantumlibet antiqua, et pacifica, nec unquam interrupta, et libertate suffulti, seu alias specifica, et individua mentione, et expretione digni existant, omni, et quacumque appellatione, exceptione, reclamatione, recursu, excusatione, et tergiversatione remotis, et postpositis, eadem autoritate exigas et exigi cures, illosque, et eorum quemlibet tam conjunctim, quam divisim, ad veram realem, et actualem solutionem subsidii, et Contributionis hujusmodi eos respective contingentium sine ulla mora faciendam opportunis juris, et facti remediis, etiam per censuras Ecclesiasticas dicta autoritate cogas, et compellas.

Nosque enim tibi quoscumque contradictores, Perturbatores, Molestatores, et rebelles tibi in premissis parere recusantes, eisque auxilium, concilium, vel favorem publice vel occulte ac directe vel indirecte quovis quesito colore prestantes, cujuscumque dignitatis gradus, Ordinis, et Conditionis fuerint censuris, et penis Ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, ceterisque juris et facti remediis opportunis cogendi, et compellendi ipsasque censuras, et penas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque Brachii secularis, quandocumque opus fuerit, invocandi, eos vero, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris, et penis supra

dictis

supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, ac cum eis super irregularitate per eos ea de causa contracta dispensandi, eosque rehabilitandi, et ad pristinum statum restituendi.

Præterea viros Ecclesiasticos probos, ac fide, et facultatibus idoneos ad præmissa omnia, et singula executioni demandandum, Commissarios tuos, exactores, collectores, et executores in singulis Civitatibus, et Diœcesibus, Provinciis, et locis Regnorum, et Dominiorum præfatorum, quot quot videris expedire, cum simili, vel limitata potestate constituendi, et deputandi, illosque arbitrio tuo removendi, et revocandi, et alios eorum loco toties quoties opus fuerit deputandi, et subrogandi, in delinquentes, vel contumaces per te, vel alium, seu alios etiam simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura judicii inquirendi, et procedendi, eosque debitis pœnis, et animadversionibus puniendi, modos, et formas in præmissis servandos præscribendi, dubia quæcumque in eisdem præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, et singula in eis, et circa ea quoquo modo necessaria, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus sit expressum faciendi, gerendi, decernendi, statuendi, et exequendi plenam, liberam, amplam, ac omnimodam facultatem, licentiam, et potestatem auctoritate prædicta earundem tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Volumus autem, ut pecuniæ quæcumque ex subsidii, et contributionis hujusmodi exactione quomodolibet proventuræ, et redigendæ, memorato Joanni Regi, seu ejus Ministris a se, seu Commissariis tuis de speciali mandato suo, seu pro tempore existentis apud eundem Joannem Regem Nostri, et Apostolicæ Sedis Nuntii, per te, seu illum, subscripto, tradantur, et consignentur ad eo ut in causam memoratam, et aliarum expensarum

occasionem

4

Nota

occasione predicti belli contra Turcas aliosve Infideles dumtaxat faciendarum, et non in aliam quamcumque, omnino convertantur. Super quibus aliis que omnibus, et singulis premissis tuam, dictique Nuntii, et Comissariorum, executorum, et Colectorum prefatorum, necnon quoad conversionem pecuniarum hujusmodi ipsorum quoque Joannis Regis, ejus que Ministrorum Conscientias oneramus.

Decernentes omnia, et singula per te, seu Comissarios tuos in premissis juxta eorumdem tenorem presentium facienda, gerenda, dicenda, et mandanda, valida, firma, et efficatia fore, suos que plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et spectabit in futurum, cujuscumque status, gradus, ordinis, preminentie, et dignitatis existant inviolabiliter observari, et adimpleri debere, neque ipsas presentes literas, etiam ex eo, quod in premissis quomodolibet interesse habentes, seu habere pretendentes illis non concenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ propter quas eedem presentes emanaverint sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quamtumvis justa, legitima, pia, et privilegiata causa, colore pretextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis enormissima, et totalis lesionis de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, au interesse habentium consensus, alio ve quolibet, etiam quantumvis formali, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliud ve quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu

impetrato

impetrato, aut etiam motu proprio, et de Apostolicæ Potesta-
tis plenitudine concesso, vel emanato, quempiam in Juditio,
vel extra illuduti, seu se juvare unquam posse.

Sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis
per quoscumque Judices ordinarios et Dellegatos, etiam cau-
sarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. Roma-
næ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apos-
tolicæ Sedis prædicto Nuntios, alios ve quoslibet quacum-
que preeminentia, et potestate fungentes, et functuros,
sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi,
et interpretandi facultate, et authoritate, judicari, et di-
finiri debere, ac irritum, et inane si secus super eis
a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter
contigerit attentari, non obstantibus omnibus, et sin-
gulis præmissis, ac felicis recordationis Bonifacii PP.
VIII. Predecessoris nostri de una, et Concilii Generalis
de duabus Dietis, aliis que Apostolicis ac universa-
libus, Provincialibus que, et Sinodalibus Conciliis
editis, Generalibus, vel specialibus Constitutioni-
bus, et ordinationibus, necnon Ecclesiarum Mo-
nasteriorum Conventuum Collegiorum, et Locorum
Piorum, ac Ordinum, Congregationum, Societatum
etiam Jesu, Militiarum, et aliorum prefatorum,
et quibusvis aliis etiam juramento, confirma-
tione Apostolica, vel quavis firmitate alia robo-
ratis statutis, et consuetudinibus stabilimentis,
et usibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quo-
que, Indultis, et literis, Apostolicis eisdem Eccle-
siis, Monasteriis, Collegiis, Conventibus, et Locis
piis, ac ordinibus, Congregationibus, Societatibus e-
tiam Jesu, Militiis, et aliis prædictis, illorum que
Præsulib

Praesulibus, Capitulis, Abbatibus, aliisque Superioribus, et perso=
nis, quibuslibet, etiam in limine Fundationis, et erectionis sub
quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cumquibusvis
Derogatoriarum Derogatoriis, aliisque efficatioribus effi=
cacissimis, et insolitis Clausulis irritantibus, et aliis Decre=
tis in genere, vel in specie, etiam Consistorialiter, et alias
quomodolibet in contrarium premissorum, concessis, Confirmatis,
approbatis, et innovatis.

Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti
derrogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, spe=
cifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autē
per clausulas generales idem importantes mentio, seu quae
vis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita for=
ma ad hoc servanda foret tenoris hujusmodi, ac si de verbo
ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita
observata exprimerentur, et insererentur presentibus pro
plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis
alias in suo robore permansuris, ad premissorum effec=
tum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse deroga=
mus ac plenissime derogatum esse volumus, caeterisque con
trariis quibuscumque. Aut si prefatis, vel aliis qui=
buslibet communiter, vel divisim ab eadem sit Sede in=
dultum, quod interdici, suspendi vel excomunicari non
possint per Literas Apostolicas non facientes plenā,
et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hu=
jusmodi mentionem.

In percipiendis vero subsidio, et contributione predictis re=
colende memoriae Clementis P.P. V. etiam Predecesso
ris Nostri in Concilio Vienen. editam constitutionem,
ac presertim, quod nec calices, nec libri, ceteraque ec=
clesiarum ornamenta divino cultui dicata, alia
ve suppelectilia Ecclesiastica ex causa pignoris ca=
pi, recipi, vel distrahi, aut alias quomodolibet

occupari

occupari debeant ubique precipimus observari; quinimo volumus, ut illius occasione Ecclesiæ, Monasteria, aliaque pia, et Sacra Loca, quæcumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac Divinus in eis cultus, et solitus Alumno famulantium, et Ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo injuncta onera, aut pia, quæ exercere solent, opera et officia ullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

Quodque præsentium literarum exempla, etiam impressa manu Notarii Publici subscripta, et alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignata, eandem in judicio, et extra illud ubique locorum fidem faciant, quam ipsæ originales facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDCCXVI. Pontificatus Nostri Anno XVI Loco ✠ Annuli Piscatoris Fr. Cardinalis Oliverius = Quibus quidem literis inspectis præsens transumptum confeci, ut illi firmiter stetur, perinde ac literis originalibus. Datum Romæ, ut supra præsentibus DD. Joanne Hieronimo, et Francisco de Valentinis testibus ad premissa vocatis specialiter atque rogatis, et ✠ Concordat cum originali = J. D. Riganti Officialis Deputatus ✠ Cardinalis Prodatarius Loco ✠ Sigili = ita est ✠ Claudius Antonius Jousserandot pro ✠ Gaspare Stassart Cancellariæ Apostolicæ Notario Deputato Loco ✠ Signi.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA
COD 11059
45